

Gd. 62.

SCHEDIASMA QVARTVM
DE VITA
**ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORVM,**

AB INITIO BELLI THVRINGICI VSQVE AD A. MCCXCV.

— 50 —

Q V O
A D L U S T R A T I O N E M
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S I S
V E R N A M

D. XVII. MENSIS MARTII, A. R. S. c/o 1000 LXXVII.
INSTITVENDAM,
PATRONOS, FAVTORES,
ATQVE
AMICOS LITTERARVM,
QVA PAR EST REVERENTIA ATQVE HUMANITATE

INVITAT

J. O. PETR. WAGNER,
GYMNASII RECTOR.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.

SCHINCISSA - QVARTA
ATIVITATI

AD PLUTONI
REIS ROMANARVM

AD MOCOM

СИНОІТАЛАІ СА
СІЗІВІНІСІ І ГУМУ
МАКІВ

ЛІТТЕРАРІУМ

ДІДАКТИЧНИХ Д

ПАТОЛОГІЧНА
ЛІКАРІЯ

АМІКОС ЛІТТЕРАРУМ

СТАНДАНТІВ АМІКОС ЛІТТЕРАРУМ



CONTINVATIO ACTORVM REGIS ADOLPHI

a. M c c x c i v .

 Venio nunc ad exitum hujus anni, quo luctuosum illud in Thuringia cœptum, sed non patratum fuit bellum. Si quid vero est, quod plurimi vituperandum esse censem hodie, certe hoc bellum est. Detestantur omnes iniquitatem venditionis, miserantur filiorum Alberti Landgravii fortunam, vim in omni memoria inauditam factam esse, clamant. Quod tempore, quo res in armorum certamine stetit, longe aliter factum esse, constat. Per mihi mirum semper cum aliis visum est, accusatorie cum olim prodirent, qui *Adolphum* indignum dominatione & Regno Romano vociferabantur, atque omnia ad ejus invidiam rapiebant, hujus *dimicationis Thuringicæ*, meminisse eorum neminem.

Multarum rerum in ignorantia jam sumus. Nam qui de his rebus memoriæ prodiderunt, in magna jejunitate professos infantiam videmus. Ac-

K 2

cedit,

cedit, 'ut non' habeamus, nisi quosdam testes, plus æquo studiosos filiorum utilitati. Neque id clam præ se ferunt, gloriantur enim boni viri, se flagrare odio ejus, qui animum patrium exuerit, qui propterea vulgo male audit *Albertus degener*, ex ejus temporis elegantia. Recte, an fœsus, jam non disputo, tantummodo cautos esse volo, qui judicium facturi de mercatura provincie, atque bello inde nato consultant, ut rerum in summam invidiam adductarum ad veritatem revocent rationem. Illud quidem breviter significandum videtur, *Adolphum* majorem gloriam adeptum fuisse, si hoc tempore sine mora Galliam potius, quam Thuringiam, jura Imperii recuperaturus, petiisset.

Sed hujus belli cum mōra intercessisset, quod supra indicavimus (*) non alienum erat interea *Alberti Landgravi*, a filiis valde vexati, querebant moveri, atque sui copiam facere in *Thuringia*: sibi persuadebat, hoc bellum parvo temporis spatio terminisque coörceri: neque illud summa cum molestia sua per totam vitam continuari, cernebat animo.

Cujus vero belli ratio nisi explicata fuerit, res aparere non poterunt. Quare pauca supra repetam.

Henricus illustris, Marchio Misniae, Lusatiae, atque Thuringiae Landgravius circa a. 1265. terras suas, præter *Misniam* & *Lusatiam* inferiorem, quas sibi retinebat, inter filios ex primo conjugio natos, partitus est.

In divisione *Alberto*, primigenito, *Thuringia*, & *Palatinatus Saxonie*; *Theodorico Sapienti Landsberga & Terra orientalis*, vulgo *Osterlandia* traditur. (a)

Alberto contigit, ut lectissimam *Friderici II. Cæsaris Suevi filiam, Margaretham*, forma atque pudicitia insignem a. 1266. sibi jungeret coniugio, & cum ea dotis loco *Altenburgum* & terram *Plisensem* acciperet. Sustulit ex illa *Henricum, Fridericum admorsum & Ticemonnum*. (b)

Inter illustris *Margarethe* satellites & ministras fuit quedam *Cunigunda de Isenberg*, cuius amore *Albertus* captus, genuit ex ea *Albertum* juniorem, qui vulgo dicitur *Apicius*. Quæ quidem res tot tantorumque malorum turpissima causa existimanda est. Namque studia *Alberti* in *Cunigundam* erant accensa, & legitimam uxorem male habere, illique cum pellice parare insi-

(*) *Schediasma III. p. 71.*

(a) *Hist. de Landgr. Thur. c. LXIII. anno Domini MCCLXV. Henricus marchio, confessus fenio, & habens tres principatus, divisit se cum filiis suis hoc modo. Nam ipse Henricus pater retinuit terram Mysensem, Theodorus filius suis obtinuit terram Orientalem, & marchionatum Landesberg. Albertus etiam filius suis terram Thuringiae obtinuit. Fabricius Orig. Sax. L. VI. p. 586.*

(b) *Histor. Landgr. Thur. c. LXIV.*

insidias dicebatur. Narrant enim, *Albertum* uxorem veneno primum extingue, deinde per agasonem fatuum strangulare conatum esse: illud frustra propter ministrorum ejus fidem, hoc per ipsum agasonem fuisse detectum.

At boni viri an tam scelestas insidias, quas referunt, satis probare possint, vehementer dubito. Quis est, qui agasonem fatuum in tam gravi causa fide dignum existimet? Mihi quidem uxor *Margaretha* nimis credula videtur, que verbis malorum consultorum fidem habens, ad desperationem adducta, fuga petiit salutem, mediaque nocte filiolis valedicens, *Friderici* primigeniti sui malam dextram momordit, ut scilicet perpetua injuria sibi illata in filio extaret memoria: unde *Fridericus admorsus* vocatur. Illa vero se recepit Francofurtum ubi nono exilii sui mense mortua, regia sepultura a *Wernero*, Archiepiscopo Moguntino, anno 1271. est adfecta. (c)

Atque post fata *Margaretha Albertus Cunigundam* matrimonio sibi junxit. Addunt, illam *Apicium*, quem extra legitimum thorum ab *Alberto* suscepserat, in benedictione sacerdotiali sub pallio tenuisse, eo animo, ut jura legitime natorum ita adipisceretur, patrique posset in Principatus succedere. Cui vero conatui cives *Alberti* vehementer obstiterunt.

Quibus negotiis *Theodoricus Sapiens*, *Alberti* frater, permotus, *Fridericum admorsum & Ticemannum* in aula sua educandos putavit: neque ea causa patrem habebat adversum. *Albertus* vero circa a. 1274. *Henrico*, primogenito suo, ad ministracionem *Altenburgi & Terræ Plisenensis* commissus putatur, licet illa minus fuerit diurna, ob eamque causam ille forte *Henricus sine terra* postea vocari sueverit.

Interim adultis filiis, *Albertus* illis suarum terrarum partem, in eis que *Palatinatam Saxoniam Friderico Terram vero Plisensem Ticemannum* concedebat, quod ex illorum usurpatis titulis conjicitur. At *Margaretha Friderico* cum morsu in gena, magnum quoque in animo ejus, fratris, que *Ticemanni* impresserat odium in parentem, quod mali auctores ita ale-

K 3 bant-

(*) *Hist. Landgr. Thur.* c. LXV. *Sifridus Presbyter Misnensis*, quem *Fabricius Chemnicensis* edidit, haec notavit ad annum 1270. Ipfa namque inter ceteras pedissequas suas unam habuit, quæ *Cunigundis de Isenberg* vocabatur, quam idem Landgravius amans, & cum ea frequenter adulterans, filiam Caesaris exosam habuit, & despiciat. Et paullo ante: *Inclyta & nobilissima Princeps Margaretha*, filia Imperatoris Friderici, Thuringia Landgravus cum multis contumelias & comminationes, etiam mortis, a marito suo Landgravio Alberto indigne fustulisset; tandem existens in castro Wartbergo, suffragio ejusdam militis (*Alberti Pincernæ de Vargula*,) per murum in spora de altissima rupe ejusdem castri demissa, cum duabus tandem pedissequis, & duabus camerariis fugam init.

bant, ut filii illis possessionibus non contenti, patri essent infesti, summaque ope niterentur, ne qua bonorum paternorum portio contingere. *Apicio.* Quod odium subinde erat tantum, ut in gravissimum exardestret bellum.

Itaque luctuosum erat spectaculum, cum pater & filii inter se armis certare coepissent, *Erfurtenibus* cum *Alberto* facientibus; multis terrae nobilibus, *Friderici* & *Ticemanni* partes secutis. In quo incautius agens *Fridericus* capitur, & a patre in castro *Wartenburgo* in custodiam datur, ex qua tamen post annum opera sociorum suorum elapsus est. (d)

Inter has turbas circa an. 1285. & 86. frater *Alberti Theodoricus*, reliquo filio, *Friderico Tuta*, & *Henricus sine terra*, *Alberti primigenitus*, nec non *Cunigunda*, Apicii mater, e vita excessisse putantur. Quæ igitur *Cunigunde* mors etsi id effecisse videatur, ut jam filii cum patre redirent in gratiam, tamen propter *Apicum*, quem oderant, paucio post vulnus recrudescebat. Quam ob caussam Rex *Rudolphus* a. 1287. durante adhuc discordia, profectus in Thuringiam, *Altenburgi*, ubi certe d. 8. Aprilis adhuc versabatur, pacem inter *Albertum* eosque filios constitutam auctoritate sua confirmavit. Ipsum pacificationis modum non habemus exploratum: patrem filiis certos pecunias redditus decrevisse existimant. (e)

Interim a. 1288. d. 15. Febr. obitus *Henrici illustris*, ætate confecti novam dissensionis occasionem obtulisse videtur. Is enim moriens, nepotibus suis, *Friderico* & *Ticemanno*, ad se convocatis, coram multis proceribus & nobilibus, omne *Misniae* & *Lusatiae* imperium resignasse dicitur. Quod cum *Alberto*, ejusque fratris mortui filio, *Friderico Tute*, minus placeret, illi consultis & decretis *Henrici illustris* rescissis, potiori jure hereditatis utentes, sibi relietas terras vindicabant: quibus initio simul præfuisse, postea vero eas divisisse videntur. (f)

Igitur

(d) *Hist. Landr. Thur.* c. LXXI. cont. *Lamberti* ad a. 1281.

(e) *Hist. Landgr. Thur.* c. LXXXII--LXXXIII. *Chiffletii Vefontio* P. I. c. 58. p. 230. conf. *Hornii Henr. illustr.* c. 6. §. 19--49. p. 192. seqq. *Tenzeli vita Friderici* admorsi Sect. II. in *Menkenii Script.* T. II. p. 913. seqq. *Wilki Ticemannus* L. I. c. 2. 9. 12. 14. L. II. c. 2. & L. III c. 1--5. L. VII. c. 1. *Säberlin R. Hist. B.* II. p. 586. seqq.

(f) *Langius Chron. Lit.* ad a. 1294. Eo tempore floruit *Albertus Landgravius Doringiae*, potens & magnus, cuius uxor fuit *Margaretha*, filia *Friderici imperatoris*, ex qua genuit duos filios, *Fridericum* & *Theodoricum*, qui & *Titzmannus* a quibusdam dicitur. Habuit & fratrem (lege patrem) *Henricum*, qui dominabatur in Marchia *Misneni*, & *Lusatia* provinciis. Is vicinus morti prædictos nepotes fuos *Fridericum*, ad se venire iussit, hisque, multis proce-

Igitur filii *Alberti*, se magna & luculenta hæreditate avi sui, certe hoc tempore, exclusos, moleste ferebant, & in aestate a. 1288. cum *Friderico Tuta* armis contendisse verosimile est. Attamen paullo post ab armis discessisse videntur, ea quidem conditione, ut *Fridericus Tuta* *Ticemanno* partem *Lusatiae*, & *Osterlandie* traderet: quod ex subscripto titulo *Ticemanni* conjectura consequuntur. Etsi igitur ex hac parte pax cum *Friderico Tuta* restituta fuit, tamen res filiorum cum patre circa autumnum hujus anni ad multo luctuosius venit certamen. Offensa erat filiorum voluntas, cum putarent, patrem opes avitas per luxuriam consume-re, inconsulte largiri, in primis vero Apicio copiosius effundere, quam aequo animo perpeti poterant. Hoc tantum apud filios valebat, ut reverentia patris ex illorum animis excideret penitus, summaque impietatis darent documenta. Namque *Fridericus* admirso consentiente *Ticemanno*, patri suo iter facienti sèpius struxerat infidias, tandem inter *Isenatum* & *Gotham* eum interceptit, animoque nunquam eum dimittendi, *Landsbergum* duxit captivum.

Hæc audiens Rex *Rudolphus*, valde isto filiorum flagitio commotus, gravissimo mandato patrem custodia hoc anno liberavit. Attamen *Albertus* tot malis filiorum suorum fatigatus, paci inserviendum putabat. Itaque initio anni 1289. *Rochlitii* cum filio *Friderico* admirso faciebat pactionem, tradendo illi *Freybergam* in districtu metallifero cum adjacentibus fodinis metallorum, atque alia oppida in *Misnia*, in iisque *Muhlbergam*, *Torgaviam*, quæ postea *Ticemanno* obtigerunt. Sed & hæc pax ad exitum hujus anni minus suit firma. *Albertus* enim in Thuringia varia castra dabat *Apicio* suo, alia aliis dedit dono, alia oppignorabat, alia vendebat, alia permutabat. Ex iis, quæ patri in *Misnia* & *Osterlandia* supererant, alia Marchioni *Friderico Tuta* vendidit, alia aliis commodioribus permutavit. Jamque in eo erat, ut filii cum patre renovatum gererent bellum, nisi Rex *Rudolphus*, a. 1290. Comitia *Erfurti* celebrans, ab hoc conatu deterruisset.

Interea etiam inter *Albertum* & ejus cognatum *Fridericum Tutanam* orta est dissensio, *Alberto* causam interserente, *Fridericum* in permutatione

proceribus & nobilibus adstantibus, omne Misnia, Lusatia, ac Libonotria imperium resignavit, deditque, cum hæredem alium non haberet. Sicque Princeps prius his ordinatis quievit in pace. Quod pater eorum *Albertus* audiens, vehementer indignari coepit contra filios, seque fratris (patris) successorem esse allegans, & verum bonorum suorum hæredem. Hac *Langius*. Quum vero in aperto est, *Alberto* non fuisse fratrem, sed patrem *Henricum*, eundemque fuisse dominum Misnia, & Lusatia, non est difficile intellectu, illa, quæ refert *Langius* de parte *Alberti* interpretanda esse.

tionibus & venditionibus se fessellisse promissum. Aderant igitur in illis Comitiis Erfurtensibus, Albertus degener, & Fridericus Tuta, quorum contentio auctoritate Rudolphi dirempta est. Aderat Albertus ejusque filii, cum quibus Rex, quæ voluit, coram egiſſe videtur, atque illos sine dubio ad pacem & meliorem frugem applicare animum hortatus est. Quanquam nulla tabula de iis, quæ in hac discordia statuit Rudolphus, potest proferri.

Cæterum a. 1290. d. V. Aug. Albertus cum filio suo Friderico amorpho Isenaci pacifcens, promittebat, se postea, invitis filiis, nihil ex possessionibus suis vendere neque alio modo alienare velle. Simul fidem obligabat suam, quibusdam castris & oppidis, pignori certis arbitris datis, quæ redderentur filiis, si ipse pacto decedere conaretur. Sed hæc ea conditione constituebat, ut sibi ex voluntate sua Apicio certam hereditatem decernere liceret: ob eamque caußam postea Apicio castrum Tenneberg obtigisse videtur.

Crederes igitur, hæc pacta ab utrisque partibus confirmata, fore rata, nisi obitu Friderici Tutæ qui a. 1291. d. 16. Aug. adeoque paulo post mortem Rudolphi, sine prole deceperat, magna rerum mutatio iterum consecuta fuisset. Ille enim Fridericum admorsum & Ticemannum testamento terrarum suarum scriperat heredes, qui sine mora illas inter se ita partiti sunt, ut Fridericus Misniam, Ticemannus Lusatiam inferiorem obtineret. Albertus autem se potiore jure heredem illarum terrarum existimans, renitentibus filiis, jus suum armis exequi statuebat.

Cum vero ille se armis filiorum suorum non parem putaret, adscivit sibi bellum socios Marchiones Brandenburgenses & Principes Anhaltenses, qui tanquam justam Alberti caußam defendendam suscipiebant.

Ipsum vero bellum a. 1292. erupisse videtur, & etiam regnante Adolpho, ita continuatum fuit, ut sepius pater cum suis sociis præliis discederet inferior. (g)

Non luminibus amissis visu orbum sed mente captum esse oportuit, qui jam non videat, Albertum omnia egiſſe, ut paci consuleret, filiisque fatisheret, quod sine dubio factum atque lis sopita esset, nisi unus obstitisset Apicius. Quem immerentem, delicias matris, paternique jam heredem nominis, nudum domo ejiciat, hereditate excludat, inter mendicos ableget, ubi quo ollæ atque mensæ suppetat, carbonarium faciat, in saltu ipso Thuringico vel horum caufsa in Transylvania remotissima.

Ita-

(g) Hist. Landgr. Thur. c. LXXIII -- LXXVI. Tenzelii vita Frider. admorsi Sect. III. §. 36. seqq. & Wilkii Ticemannus L. I. c. 6. & L. III. c. 6 -- 15. Schannar. Prob. Client. Fuld. p. 204. Säuberlin h. N. B. II. p. 607. seqq.

Itaque *Albertus* graviter dolens, non solum de præsentí injuria, sed etiam de multis aliis malis a filiis sibi adhuc illatis, ad illos exhereditandos & terras suas vendendas omni ferebatur cogitatione. Hac mente illas Principibus omnium ordinum in Saxonia & Franconia proponebat venales. At cum plurimi incertum rerum exitum vererentur, nemo se tanto periculo obiectare audebat. (h)

Tandem id quod voluit *Albertu*, persuasit Regi *Adolpho*, illique, excepto Wartenburgo, quod sibi ad dies vitæ reservaverat, *Thuringiam* vendere non dubitavit. (i)

Habuit omnino *Albertu* caussam justissimam conquerendi de filiorum hereditate, avique favore in nepotes cum sui magna ignominia. Contra consuetudinem id siebat, in regno quidem, ubi nepotum, viventibus patruis, ut de patre superstite non dicam, ex morte avi nulla erat hereditas. At alia via *Albertu* adgressi fautores juvēnum dicebant. Avus quam vixit, erat rerum suarum dominus. Potuit eas donare, cuicui visum est, non modo nepotibus. Vituperare quis ausus sit? Id cum *Alberto* occineretur vulgo, venit in cogitationem eodem jure compensandi. Sum dominus terrarum mearum, vivo etiamnum, possum rem meam donare, permutare, vendere. At dedit avus nepotibus, Tu vero *Apicio*, ex contubernio odiosissimo nato, indigno hereditate. De *Apicio* animo quieto esse volo, *Albertus* inquit, qui nullus habebit. Redeat ad dominum, unde beati quandam Barbatī memoria obvenit illa possessio. Itaque fecit prorsus. Vituperare quis ausus sit?

Jam superiori anno MCCXCIII. *Albertum* & *Adolphum* de conditionibus hujus emtionis inter se egisse, patet ex litteris *Alberti*, *Vlrico* Comiti Hanoviensi *Norimbergæ* a. MCCXCIII. d. beati Martyris datis. Ipsa vero emtionis tabula etsi adhuc lateat, adeoque ex ea doceri nequeat, quanto pretio istæ terræ fuerint venditæ, tamen eadem, quas modo dixi, litteræ, indicio sunt, varios ad solutionem pecuniæ præstitutos fuisse dies. (k)

Consentiunt in eo plurimi scriptores, *Albertum* istas terras *Adolpho* pro duodecim millibus marcarum cessisse. (l)

Quum

(h) *Fabricius L. c.* p. 597.

(i) *Stero.* ad a. 1293. *Trithemius* ad a. 1292. *Chron. Elwangense* ad a. 1294.

(k) *Schediasma II.* p. 40.

(l) Quam Summam pecuniæ *Glaſey* ad calculos 96000. Thalerorum revocat. vide. *Kern der Geschichte von Sachsen*, p. 27. At non firma est sententia *Tammi* in *Chron. Coldicensi*, qui putat *Adolphum* pro ipsis possessionibus 150000. marcas solvisse. conf. *Peccenstein* in *Theatro Sax.* P. II. p. 202. cuius calculus omnem numerum excedit.

Quum igitur a. 1293. ut supra dixi, emtio & venditio illa fuerit abso-
luta, non poterat fieri, ut *Adolphus* tum temporis pecuniae ab *Rege Anglico*
accipienda haberet rationem, quia non hoc, sed posteriori anno fœdus inies-
tant Reges. Neque tamen diversis pensionibus alienum est, partem pecu-
niæ Anglicæ huic rei impendere. (m)

Sed multo majoris momenti quæstio est, an *Adolphus* hanc Thuringiæ
emtionem jure facere potuerit; Nota sunt, quæ in *Nassovium* propter hanc
caussam contulerunt. Vitio illi dant, quod has terras paternas, quarum he-
redes filii ex *paeto* & *providentia* majorum post obitum patris certo fuissent;
sibi vindicaverit, proinde ac si jam vicerint, acquisitionem istam fuisse in-
justam.

Sed cum *jus publicum*, in medio ævo a Germanis usurpatum, multis
adhuc tenebris involutum sit, non mirum est, hanc rem, quæ in controver-
siam vocatur, ex illo difficile dijudicare posse. Scriptores coavi de ipsis
Germanorum *statutis* & *confuetuainibus* tacent; & recentiores plerumque
in ea caussa explicanda ad *leges Romanas* & *Longobardicas feudales* confu-
giunt, licet an harum usus temporibus *Adolphi* exstiterit, valde dubium videa-
tur. Certe successiones filiorum ex *paeto* & *providentia* majorum tum tem-
poris nondum locum habuisse constat. Mille territoriorum alienationes ar-
gumento sunt, illorum alienationi, hac ætate leges nondum obstitisse. *Al-
bertus* Landgravius terras suas cum filiis erat partitus: qua divisione peracta,
de sua cuique parte licebat pro libitu facere, quæcunque vellet. Quæ cum
ita essent, *Alberto* Landgravio potestas fuit, eam partem, quam sibi ex par-
titione reservaverat, ex libidine Regi Romano vendendi, & ex jure belli fa-
ctum est, ut *Adolphus* jus suum in terras emtas persequens, etiam adversario-
rum suorum partem occuparet. Neque enim *Adolphus* primus arma sumvit,
sed, ex iis, quæ infra dicemus, cognoscimus, a *Fridericu* & *Ticemanno* il-
lata propulsâ. (n)

Etsi igitur ex veteribus Germanorum statutis & moribus fatis intelligi-
tur, *Adolphum* in haec Thuringiæ emtione non illegitimo modo egisse, ta-
men, quam falsum sit crimen iniustitiae, quod ipsi ex jure feudalí recentius
usurpato objici solet, etiam ex eodem manifestum est, cum consideramus,
filiorum delicta iterum iterumque in patrem Albertum repetita fuisse tanta,
ut illi se *feudis* reddidissent *indignos*, (o) quod non solum multis vicibus
patri:

(m) *Albert. Argent.* p. 100. *Mutius L. XX.* p. 202.

(n) *Conf. Io. Georgij Scherzii Dissert. de Imperatoris *Adolphi* Nassovii depositione,*
ed. Lipsiæ, 1749. p. 36. 68.

(o) *struvii Syntagma jur. feud. Cap. XV. §. IO. Rosenthal Tract. jur. feudal. C. X.*
Concl. XXXVI. n. 36. 37.

patri suo intulerant impia arma, sed etiam per insidias eundem adorti, *Landsbergam* duxerant captivum, eo quidem animo, istum nunquam e custodia dimittendi.

Ipsam vero hanc violentiam filiorum, cui pater non poterat resistere, ipsos horribiles conatus patris potiundi, & in vincula conjiciendi, ipsos acerbissimos patris dolores, ex filiorum flagitio perceptos, inter probatissimas & proximas parricidii caussas referendos esse, qui dubitet, arbitror esse neminem. Et quis ignorat, quod in *jure criminali* carcer perpetuus non multum discrepet a saeviori mortis supplicio & morti acquiparetur; (*) & quod etiam *Justinianus* Imperator praecepit, ut, si quis parentis fata properaverit, sive clam, sive palam id enilus fuerit, poena *parricidii* puniatur. (†)

Cujus modi *parricidium* hoc tempore eti non fuerit patratum, tamen id non lenit atrocitatem facti, cum & eum, qui adjuverit parricidium, vel conatus fuerit id perpetrare, struendo forte insidias, *feudo privandum* esse existimant. (p)

Quid multa? *eadem ratio*, quæ *parricidii*, æque atrox & nefarium fatum, contra vim humanitatis & sanguinis communionem patratum, *parricidii* criminis adnumerandum est. (q)

Neque ipsæ leges *parricidium* solum pro caufa amittendi feudum habent, sed quoscunque casus, in quibus vasallus graviter deliquerit, vel grave quid commiserit. (r)

Ex quibus igitur clarissimus *Gundlingius* conjectit, tam atrox filiorum *Alberti* facinus etiam legitimam caussam esse, ut auferri peccantibus feudum atque honor potuerit. (s)

Neque eorum nobis probatur opinio, qui putant, *Adolphum*, auri sacra fame impulsum, in emendo Thuringiam familiae suæ prospicere voluisse: alii enim gravius abstinentia testimonium illi impertunt, cum nihil ex bonis Imperii ad filios suos translustisse, Thuringiam emtam non illorum, sed *patrimonio Imperii*, ad dignitatem regiam tuendam necessario, adjungere statuisse: quæ excusatio, si qua opus fuerit, in illa Thuringiæ emtione, justa atque idonea habetur. (t)

L 2

Neque

(*) *Carpz. rer. crim. PH* q. LIII. n. 25. & P. III. q. CXI. n. 57.

(†) L. un. C. de his, qui par. vel Liber. occid. §. 6. Inst. de publ. judic.

(p) *Schrader* p. 9. c. 3. n. 30. seqq. *Rosenthal & Struv.* l. c.

(q) *Struv.* l. c. §. 10. n. 3.

(r) *Feud.* l. II. Tit. 24. 37.

(s) *Gundling.* obser. Select. T. I. p. 106. *Adolphus Nassovius Imp. iniuste depositus.*

(t) *Trithemius Chron. Hirsaug.* P. II. p. 57. *Adolphus* filios suos & proximos in nullo de rebus Imperii ditare voluit, sed omnia regno integra conservavit. Et p. 58. Idem Rex *Adolphus* totum Principatum Misnensem pro magna pecuniarum

Neque rei exitus huic sententia repugnat. Nam filii *Adolphi* post obitum patris sui Thuringiam emtam non sibi reposcebant: quod ex jure hereditario factum esse credideris, si *Adolphus* in hac emtione rationibus familiae suae confulere voluisset. Contra *Albertus*, qui successerat *Adolpho*, iura Nasovii, tanquam patrimonium Imperii, armis persecutus est. Namque ille collectis ex Suevis, Bohemis, Bavaris, cædes & incendia spirans, eodem, quo *Adolphus*, jure nixus, inter alia occupavit *Luccam*: unde unita fratum *Friderici* & *Ticenanni* vi stragem accepit insignem. (u)

Atque hoc mirandum est, quod *Adolphus* neque ab Imperii ordinibus in hac cauſa admonitus sit, ut ab incepta emtione defisteret, neque illi, qui eum postea regia dignitate submovebant, istam emtionem inter cauſas depositionis retulerint, licet recentiores hanc depositionis cauſam singant. Quæ enim cauſa *Adolphum* exauſtorandi si vera existimanda esset, fieri non potuſſet, ut *Albertus* idem jus *Adolphi* bello persecutus esset,

Ex his igitur conjicimus, illi Thuringia emtioni nullam legem Germanicam obſtitisse, neque tum illam emtionem, quod nunc, mala cauſa prætulisse indicium, Quid? quod Rex *Albertus* terras occupatas filiis Landgraviis non restituendas putavit, sed eas, dum viveret, in sua retinuit potestate. Tandem Rex *Henricus VII.* Imperio Romano potitus, ea usus est in filios *Alberti* degeneris clementia, ut illis redderet terras paternas, quibus adhuc ægre caruerant. (*)

Neque tamen, dum emtionem *Adolphi* excusandam suscepi, alia delicta patris *Alberti* in filios suos purgare est animus. At vindicta privata ulcisci injuriam, patri vim adhibere, illum in custodia tenere, flagitium opinione gravius est, quo majorem faciebant, quam accipiebant injuriam. Namque in Rege Romanorum satis habebant presidii, si, ut debebant, via juris nisi voluissent, & si non posthabita Regis maiestate, ut ait *Gundlingius*, ferro sibi viam aperuissent, & parenti infanda ratione illuſſent. Cæterum *Albertus* Landgravius, ut supra mentionem fecimus, victoriam filiorum suorum

mo-

niarum summa coëmens, incorporavit Imperio, quem cum filiorum suorum aliuci dare potuſſet, quemadmodum Rudolphus fecerat cum Ducatu Austriae, nequaquam voluit, sed eum Imperio cunctis regni sui diebus reservavit. — *Mutius Chron.* L. XX. p. 202. Quanquam illa pecunia usus sit (*Adolphus*) in Misnenſi Ducatu emendo, quem, ut sic dicam, incorporavit Imperio, quod illi excusatōni. *Naucler. gen.* 44. p. 239. *Scherzius* I. c. p. 37.

(u) Ex qua clade notissimi inclariſſere versus:

Eſ wird ihnen aſſcken,

Wie den Schwaben bey Lüdken,

Paullini annales Isenacenses. p. 71.

(*) De *Ludevog Reliq.* P. IX. p. 676.

moleste ferens, adibat *Nassovium*, iterum iterumque monens, ut quas emisset terras, sine mora occuparet. (x)

Etsi igitur *Albertus & Adolphus* hoc negotium non multi laboris esse putarent, tamen ea res longe aliter, ac rati sunt, evenit. Neque enim filii *Alberti* a quo animo patiebantur, sibi terras hereditarias eripi, præser-tim, cum scirent, multos nobiles & civitates Thuringiae, illam venditionem minus conformem legibus judicantes, sibi quovis modo adfuturos esse. (y)

Adolphus ubi intelligit, eo processum, ut Thuringia aut relinquenda sit, aut armis retinenda, ad obsequium sibi in ista terra parandum, necessa-rio copias parat. Neque illi dearent istæ. Multi *Nobiles & Comites* ope-rarum suam *Adolpho* navare erant paratissimi. Inter hos, qui cum copiis suis accedebant, *Nassovio* opem laturi, erat *Eberhardus*, Comes de Marca, (z) *Georgius*, Comes Oettingensis, cum aliis, qui ex *Suevia & Helvetia* mit-tebantur auxilio. (a) Prater istos multi milites ex *Nassovia* aliisque pro-vinciis, Rheno finitimiis, advenientes, magnum explebant numerum. (b)

Quid? quod non pauci in Thuringia, *nobiles* partibus *Adolphi* fave-bant, illum adjuvare non recusantes. (c) Non igitur caussa erat, cur no-ster tria *Judeorum* millia exercitu admiseret suo, sicuti quidam temere fin-gere conati sunt. Ipse vero Rex *Adolphus*, *Philippus Nassovius*, & *Ger-lacus de Breuberg*, tanti excercitus peritissimi erant duces. (d)

L 3

Atque

(x) Id colligitur ex *Annalibus* vet. *Cellensis*, qui hæc referunt: *Albertus Land-gravius* audiens victorianum filiorum, gravi perturbatus indignatione in folle furoris sui ad partes Rheni properans, *Marchiam Misnensem* cum omni orientali plaga terraque Misnensi modis omnibus studuit a suis alienare. Nam Comiti *Adolpho de Nassio* nuper in Regem Romanorum electum ad possessio-nem accipendi, cum multa militia ad terram orientalem deduxit. — *Menken. Script. Germ.* T. I. p. 1934. — — —

(y) *Hist. de Landgr. Thur. apud Echardum* in *Hist. Genealog. Sax.* p. 447. Plures adstiterunt filiis, & restiterunt regi, scilicet nobiles & civitates, qui nole-bant homagium regi facere, viventibus heredibus, sed contradicentibus.

(z) *Levvold de Norbhoff Chron.* p. 393. — — —

(a) *Fabričius* I. c. p. 612. 615. — — —

(b) *Ioannes Roth* in *Chron. Thuring.* apud *Menken* I. c. T. II. p. 753. Er brachte ein großes Heer von dem Rhynē už dem Ringowe, und der Herrschaft von Nassawie.

(c) *Chron. terræ Misnensis* I. c. p. 327.

(d) De *Gerlaco de Breuberg conf. Schediasma* II. p. 39.

Philippus Nassovius, dux *Adolphi* à viris peritissimis pro filio fratri *Henrici di-vitis*, qui *Henricus* fuit avus *Adolphi*, habetur. *Hagelgans* nomen hujus *Phi-lippi* in filiis *Henrici divitis* profiteretur, quia alias *patruus* *Adolphi* nostri dicitur. Sed litteræ quadam ab *Henrico* divite paulo ante obitum ejus datae quinque filio-

Atque ita *Adolphus* cum copiis suis bene instructis, ad terras emtas occupandas, circa finem mensis Septembris, *Thuringiae* fines ingressus est. (e)

Atque ita accidit, ut primo peterent *Isenacum*, cuius cives cum paucis aliis civitatibus, Comitibus & nobilibus *Thuringiae* Regi *Adolphi* fidei dare non recusabant, cum libertatis amore, tum metu, quod se contra Regem defendere non possent, impulsi. *Potentiores* vero plurimique *Nobilium* Regis mandata facere nolebant. Hos ergo ad obsequium cohortatus est, dicens, Regi Romano parere, esse libertate frui, satiusque esse unum habere Dominum, quam propter Dominorum multitudinem bellis civilibus, quod ipsi damno suo experti essent, vexari. Verum tantum absuit, ut *Thuringi* his *Adolphi* aliisque blandimentis ad obsequium invitarentur, ut potius contra ipsum a filio *Alberti* auxilia petierint, quæ facile impetrarunt. *Adolphus* igitur ira commotus contumaces eos pronunciat, suasque copias contra illos tanquam rebelles ducit, castris circa diem Mauriti d. XXII. Sept. ad *Islebiam* locatis; ubi circiter dies XIV. moratus fuit. Ad quorum ferociam comprimendam Regis milites non animo leni ac comi fuisse, facile credideris. (f)

Addunt multi scriptores, copias *Adolphi* multa crudeliter fecisse, neque templis, neque Monasteriis pepercisse; juvenes, senes, feminas trucidasse; omnia effusa licentia, rapinis atque incendiis vastasse.

At plerique de ista militum licentia mentionem facientes sunt *scriptores recentiores*, qui sèpius sine documentis indubitate fidei scribere non erubescunt. Neque dubium est, *Thuringenses scriptores*, quos alii temporante sequuntur, studio partium ductos, speciem facinorum, quæ narrant, vehementer auxisse.

Hinc ipse *Scherzius* non omnia, quæ *Fabricius* in *originibus Saxonis* de his turbis copiosius protulit, approbat, cum etiam ille *Friderico admorso, patriæque suæ plus justo favere* videatur. (*)

Quid?

filiorum, sed nullius *Philippi*, faciunt mentionem. At cum patruus filio mediæ ævi sèpius etiam filium fratris avi denotet, iste significatus hoc loco verissimus esse videtur. conf. *Hagelgans Nassauische Geschlechtertafel*, p. 4.

(e) *Hist. Landgr. Thür.* c. 78. *Excerpt. Saxon.* ex *Monacho Pirnensi* apud *Mencken*. I. c. T. II. p. 1502. *Langius Chron.* Cit. p. 817. *Sifridus Presbyter* ad a. 1294. *Paulini Annales Isenacenses* §. 71. seqq. *Annal. Cotmar.* ad a. 1294. *Albert. Argent.* p. 109. *H. Stero* ad a. 1293. *Trithemius Chron.* Hirsl. ad a. 1293.

(f) *Fabricius* I. c. inter alia narrat: Ad *Thuringiam* occupandam in fine mensis Septembris venit. *Isenacenses* primi fidem dant, & obsequium pollicentur, quos sequuntur aliqui, qui resistere Alberto (lege *Adolphi*) non poterant. *Scherzius* I. c. p. 37.

(*) *Scherzius* I. c. p. 39.

Quid? quod illustris ille *Gundlingius* ita de hac re judicat: "Inania sunt, Adolphum multa fecisse crudeliter, Ecclesiis non pepercisse, trucidasse juvenes, senes, feminas. Quibus enim belli effectus non sunt ignoti, haec omnia juxta habebunt, eorumque phantasmata juste ridebunt, qui bellum sine sanguinis effusione geri posse somniant, & cum hostes arma capessunt, ab altera parte clementiae singularis signa exposcent." (g)

Evidem petulantiam, vel atrocitatem militum, si qua fuerit, purgare nolim; at omnium scelerum, *Adolphum* perhibere auctorem, iniquissimum esse videtur. Ipse *Fabricius* l. c. multa facinora commemorans, fatetur, quosdam honestos homines fuisse in exercitu Regis, qui militum malefacta ad *Adolphum* detulissent; Regem vero se illis expurgasse, quod talia nescierit; difficile esse continere tantam multitudinem. Ipse deinde Rex poenam sacrilegia sanxit manus dextræ amputationem; cumque nihilominus quidam *Nobiliores* ex copiis ejus effractis foribus templum quoddam spoliarent, iratus Rex ipse foribus templi instituit, singulosque invaforum extractos manu dextra jussit truncari. (h)

Dum

(g) *Gundlingius* l. c. p. 107.(h) Aut. addit. ad *Lambert. Schaffnab.* apud. *Pist.* p. 261. De crudelitate exercitus *Adolphi* filius loquitur *Fabricius* origg. *Sax. L. VI.* p. 598. seq. Idem in *Annal. Misnensibus* ad a. 1295. hos recitat antiquos versus, in contumeliam Nasloicorum compositos:

Maestavit clerios flentes, templique clientes,
Virgineum violans coetum, quod non fuit æquum,
Aras destruxit, plebs ergo plurima luxit.
Traxit ab Ecclesiis mulieres, dans sceleratis,
Vestibus exutas, & misit currere nudas.

De his vero mulieribus vetulis a militibus *Adolphi* male tractatis, plura refert *Sifridus Presbyter* l. c. Contigit autem, inquit, cum idem Rex *Adolphus* in Thuringia quondam villam pertransiret, Sumeringen dicitur, juxta quam exstructa est Ecclesia S. Gangolti militis, & martyris: ut duæ vetulae mulieres ad dictam ecclesiam cum rebus suis confugerent, quas quidam pedes de exercitu rebus & vestibus spoliantes nudas perinxerunt pice, cum sebo mixto, deinde in plumis volutantes, discurrere permiserunt. Tunc illæ cum fletu & clamore, usque ad Regem per venerunt. Quos videns Comes Dietericus de Hornstein lacrymans & Regem accedens dixit, Domine, videte, & miseremini. Cui Rex, equis modo poterit inventire reos? & sic illæ mulieres ad sua sunt conversæ cum mœrore, nullam gratiam consequæ sunt. *Hactenus Monachus.* Nonne vero idem fatetur, nec vexatas & illusas feminas, neque Regem illorum petulantium nomina novisse? Quomodo igitur poterat fieri, ut in auctores

fce-

Dum vero ista in *Thuringia* a Nasso viis gesta sunt, nec *Alberti* filii, nec eorum socii se ad lenitatem dederunt. Par pari referendi nullum pratermittebat locum. Quid multa? In hoc bello Thuringico ab utrisque partibus multa acerbe crudeliterque facta esse dicuntur.

Horret animus cogitando, quam barbara feritate Fridericus ad mortuus in captivos favierit, cum in quodam confictu captos, exspecta virilitate, Regi Adolpho remitteret. (i)

His vero difficultatibus circumventus *Adolphus*, eo fortunæ beneficio utebatur, ut ab aliis externis hostibus hoc tempore non lacefferetur. Sunt quidem, qui putant, *Albertum*, Austriae Ducem, inquietum & minime otii patientem, data occasione, hoc anno contra *Adolphum* armam movisse. Sed *Albertus* hac tempestate iracundiam cohibebat suam, exspectans locum nocendi opportuniorem. Modo in *Alsacia* quidam motus existebant, ubi cives *Seljenes* nonnullis *Argentinensibus* injuriam inferre conati fuerant, ut *Petrus*, *Episcopus Basiliensis*, paci publicæ inserviens, cum Rege de hujusmodi turbine & tempestate feria tertia ante festum omnium sanctorum quereretur. Neque defuit consilium illud malum comprimendi. (k)

Rex igitur varia a Thuringis Misnensibusque affectus ignominia, *Isebia relicta*, pergebat per *Vippacum Mutteinusium*, ubi d. IV. Octobr. castra erant polita: quo loco inter alia negotia dedit mandata, ut oppidum *Northusium* Alberto Landgravio polliceretur fidem, donec ipse illi duo marcarum millia persolvisset. (l)

Hinc agmine suo incedebat *Mühlhusium*; sed & ibi oborto tumultu plures suorum amittit, atque ipse ab illa urbe, recedere coactus est.

Quo

scelerum animadverteret? Alii vero hoc petulantia exemplum ad unam mulierem referunt, in quibus est *Fabricius*, qui tamen modum excedit, referens: per castrum agunt in conspectu Adolphi, quam cursu, verberibus fatigatam relinquent semimortuam. Sed auctor de *veteribus Landgravii Thur*, qui etiam de hoc facto scribit, ignorat, istud conscio Rege accidisse. Ceterum pari modo milites Regis *Philippi* olim quandam Monalem habuerunt spectaculo & iusui. *Godofredi Monachi Annales* p. 364. conf. *Gaudling*. l. c. p. 108.

(i) *Gottfr. Langens Einleitung zu den Geschichten*, ed. II. p. 539. *Sächsischer Heldenaal.* edit. III. p. 283. *Scherzius* l. c. p. 38.

(k) *Wenckeri Apparat. Archiv.* p. 180.

(l) *Schottgen Invent. dipl. Sax.* ad hunc annum & diem.

Quo facto, ex altera parte invasit Thuringiam, & per Gotham, Erfurtum & Weimarum in Terram Orientalem tetendit.

Quo tempore Freyberga, Naumburgum, Pegavia, castrum Groitzza, Borna, Leburgum & Lipsia partim voluntate imperio Adolphi adiungebantur. In quibus Naumburgum proditione expugnatum esse dicuntur. (m)

Rex autem cum Bornæ commoraretur, privilegia Episcopatus Berchersgadenis, a Regibus Friderico & Rulolpho scripta, d. VII. Decembris, sicut consueverat, liberalissime renovabat. Ex nominibus vero, huic epistola appositis, intelligitur, viros illustrissimos, Ericum, Archiepiscopum Magdeburensem, Episcopos Ecclesie Bambergensis, Constantiensis, Merseburgensis, Naumburgensis; nec non Marchiones Brandenburgicos, Principem Anhaltem, Eberhardum, Comitem Würtenbergensem, cum multis aliis viris excellentissimis, illo tempore fuisse apud Regem. Quas vero litteras Ebernandus regiae aulae Cancellarius obsignavit. (n)

Atque eodem loco Rex adhuc d. XIV. Decembr. versabatur, cum Joanni, Comiti Sponheimensi, qui Adolpho copias suas auxilio misisse videtur, in castris ad Bornam millia libr. Hallensium humanissime assignaret. (o)

Die proximo in iisdem castris ad Bornam Rudolphus, Comes Palatinus, nobis occurrit: (p) qui non solum Adolphi gener, sed etiam tan-

(m) Spangenberg's Querfurstische Chronik, p. 351. Sagittarius de Episcopis Naumburgensibus. p. 80.

(n) Hundii Metropolis P. II. p. 126. Lunig. spicil. Eccles. P. III. p. 22.

(o) Nos Adolphus — Romanorum Rex — ad universorum facri Romani Imperii fidelium noticiam cupimus pervenire, quod propter grata servicia, que nobis & Imperio nobilis vir, Johannes Comes de Spanheim impedit, & graviora, que nobis impendere poterit in futurum, eidem Comiti mille libras Hallens. usque ad festum pentecostes proximo affuturum, promisimus, & promittimus, nos daturos presentium testimonio litterarum nostre majestatis sigillo robore munitarum. Datum in castris apud Burne. XIX. Cal. Januar. indictione octava, Anno Domini MCC. nonagesimo quarto, regni nostri anno tercio.

(p) Historische Nachrichten vom Vogtland, p. 130.

tanquam *Imperii* vicarius Regi venerit gratissimus. Quæ dignitas ex nomine feudi concessionibus subscripto facile intelligitur. (q)

Die XX. Decembr. fuit Rex *Lipsiae*, ubi jura & privilegia *Monsierii St. Thomæ*, ab illustrissimo statore, *Theodorico*, Marchione Misneni collata, auctoritate regia comprobavit. Quibus litteris subscriptis runt præter illos Principes, quos supra diximus, alii nobiles & Comites, sicut *Eberhardus Catimelibocensis*, *Gerhardus Diezensis*, *Henricus Isenburgensis*, *Gottfridus de Mehrenberg*, *Meinherus*, *Burggravius Misenensis*, aliique clarissimi viri, Regi nostro apparentes. (r)

Interea *Alberti* Landgravii filii tantum hostium impetum non sustinentes, in Districtum Metalliferum & Lusatiam hoc tempore se reduxisse videntur.

Rex vero videns, copias suas propter hyemem multa sæviora percessas, atque negotia sua propter anni tempestatem minus procedere posse, illas, postquam præsidium oppidis subactis imposuit, in hibernis collocari jussit. *Adolphus* autem, qui redire constituerat, sub auspiciis novi anni *Northusium* pervenit. (s)

ALIAS PLVRA.

(q) *Lunig.* Part. Spec. cont. II. Forts. III. Abth. VI. p. 202,

(r) *Christ. Schætgen.* Diplomatische Nachlese der Historie von Ober-Sachsen, P. I. p. 63. Initium hujus diplomatis est:

In nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Amen. *Adolphus*, Dei gratia, Romanorum Rex — — Hoe vero initium cum a more litterarum regio abhorreat, spurium, & ab imperito quodam superadditum esse videtur.

(s) *Hib. Austr.* ad a. 1295. *Adolphus*, Rex Romanorum Misniafi cum exercitu intravit, ibique per totam hiemem commorans, Mysnensem potenter subjugavit. Conf. *Tenzeli vita Frieder. admorsii* Sect. III. §. 16 -- 18. l. c. p. 933. seqq. *Willius* in vita *Ticemannii* l. IV. c. 6. seqq. & 10 -- 12. *Säberlin* l. c. p. 644. seqq.



Cate-

Cæterum omnes, qui GYMNASIO nostro cupiunt, ea, qua singulis debetur, observantia oramus & obsecramus, ut frequentes convenient, studiaque nostra præsentia sua honorifica excitare dignentur:

HORA POST MERIDIEM II.

- I.) Ex *Classe prima* B. A. A. declamabunt, Gymnasio valedicturi:
- 1) Jo. Franciscus OTTO, Rhoda-Vilnanus, *varias veterum philosophorum sententias de statu anima post mortem recensabit.* Lat.
 - 2) Jo. Jacob TOVBY, Kirberga-Nassoficus, *de cultura animi necessaria.* Germ.
 - 3) Jo. Gottfr. KOLB, Niederselbacensis, *de contemplatione naturæ.* Lat.
 - 4) Leonard. Stephanus HERBER, Langen-Schulvalbaco-Haffus, *de magnitudine animi in fortuna adversa.* Germ.
 - 5) Jo. Wilh. Christian. STOECKICHT, Neuvviedensis, *de studio in virtute proficiendi.* Gall.

- II.) Ex *Classe tertia & quarta* de Silentio bienni discipulis Pythagore indicito disputabunt:

- 1) Philipp. Petr. CHVN, Burgschwalbaco-Nassovius.
- 2) Fridericus Henricus MALEY, Affehemio-Wetteravus.
- 3) Jo. Christianus OTTO, Fano St. Goaris-Hafus.
- 4) Jo. Carolus Salomo HERGENHANN, Vfingensis.
- 5) Philipp. Christianus THOMÆ, Panroda-Nassov.
- 6) Jo. Christianus KEIL, Bieberico-Nassov.
- 7) Georg. Christianus BAVMANN, Francofurtensis.



Gesamtumfrage der GYMNASIÖI sofern einzuhaltend, ob das
Hauslehrertheil, oder der Lehrertheil, oder die Lehrertheile, am
besten für die Schule zu gebrauchen sind, und ob sie
den Schülertheil, oder den Lehrertheil, oder die Lehrertheile, am
besten für die Schule zu gebrauchen sind.

HORN POST MERIDIAN II

- 1) Es ist Charles Léonard de la Motte-Picquart, General des Infanterie, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 2) Es ist Georges Clemenceau, ein französischer Politiker, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 3) Es ist Leo Tolstoi, ein russischer Schriftsteller, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 4) Es ist Otto von Bismarck, ein deutscher Politiker, der gegen Georges Clemenceau einen Kriegserklärung erdigte.
- 5) Es ist William Gladstone, ein britischer Politiker, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 6) Es ist Karl Marx, ein deutscher Sozialist, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.

11) Es ist Charles Léonard de la Motte-Picquart, General des Infanterie

- 1) Philipp Teufelius, ein deutscher Historiker, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 2) Giuseppe Garibaldi, ein italienischer Freiheitskämpfer, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 3) Leopoldo Alas Calvo, ein spanischer Schriftsteller, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 4) Joaquim Maria Machado de Assis, ein brasilianischer Schriftsteller, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 5) Pedro II., Kaiser von Brasilien, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 6) Oscar Wilde, ein britischer Schriftsteller, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.
- 7) Gustav Krupp von Bohlen und Halbach, ein deutscher Industrieller, der gegen Otto von Bismarck einen Kriegserklärung erdigte.

Ne 1627.8

K078

ULB Halle
006 305 962

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

SCHEDIASMA QVARTVM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII,
REGIS ROMANORVM,

AB INITIO BELLI THVRINGICI VSQVE AD A. MCCXCV.

Q V O
A D L U S T R A T I O N E M
G Y M N A S I I I D S T E I N E N S I S
V E R N A M

D. XVII. MENSIS MARTII, A. R. S. clo Io cc lxxvii.

INSTITVENDAM,

PATRONOS, FAVTORES,
ATQVE
AMICOS LITTERARVM,
QVA PAR EST REVERENTIA ATQVE HUMANITATE

INVITAT

J O. P E T R. W A G N E R,
GYMNASSI RECTOR.

W I S B A D I I,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AUL. ET REGIM. TYPOGRAPHUS.

